Monſieur *Hevelius*'s Letter written to the Publiſher, containing his Obſervations of the late Comet, ſeen by him the 27, 29, and 30 *April*, and the firſt of *May*, 1677. (ſt. nov.) in *Dantzick*.

NUper reditum illius miræ Stellæ *in* collo Ceti *vobis*, *Amice honorande*, *ſignificabam*: *Nunc verò de apparitione novi cujuſdam* Cometæ *vos certiores faciam*. *Prodiit namque hiſce diebus Sidus Crinitum*, *quod primâ vice hic* Gedani *die* 27 April. *manè ab horâ* 2 *matutinâ ad* 3. 30'. *uſque animadverſum fuit*. *Die ſubſequente* 28 April., *nulla ratione*, *ob cœlum omnino nubilum*, *phænomenum iſtud obſervari potuit*; *at verò die* 29 April. *manè*, *exiſtente cœlo aliquanto benigniori*, *licèt non omnimodè defæcato*, *pro viribus illum dimenſus ſum*. *Oriebatur*, *vel potius in oculos incurrebat*, *horâ* 1.52', *Meſaquilonem verſus* (*h. e.* Nord oſten tot norden) *capite quidem haud adeò amplo*, *ſed tamen ſatis ſplendido*, *ex unico nucleo clariſſimo compoſito*, *ad inſtar illius*, *Anno* 1665. *conſpecti*. *Caudam lumine notabilem radiis divaricatis ſurſùm verſus*, *duorum ferè graduum*, *exponebat*. *Linea directionis continuata caudæ inter* Alamac, *lucidum ſc. pedem* Andromedæ, *ejuſque cingulum incedebat*, *& quaſi diſtantiam harum Stellarum in duas æquales partes ſecabat*. *Verſabatur eo tempore ſupra caput Arietis in* Triangulo, *inter apicem & borealiorem in ejus baſi*, *nempe in* 5 *gradu Tauri*, *& in latitud.* 19 *grad. Bor.* *Diſtabat hoc tempore à Sole ſecundum longitudinem tantummodò* 5 *grad.*, *ſuo circulo verò maximo* 20. *Hincque cùm adeò vicinus hic Cometa extiterit ſoli*, *haud potuit longiorem caudam*, *ut ut meâ opinione reverà longè prolixiorem habuerit*, *oſtendere*, *imò ut puto proximis diebus aliquantò adhuc breviorem oſtendet*. * *Die* 30 April. *etiamſi cœlum non omninò ſerenum extiterit*, *obſervatus eſt*, *eâ diligentia quâ tum fieri potuit*, *tam majoribus Organis Aſtronomicis quàm Tubis* 12 *atque* 20 *pedum*: *Deprehenſus itaque in* 9 *grad.* ♉, *& latitud.* 18 *bor. ferè*; *à Sole exiſtente in* 12 ♉; *caudam rurſùs duorum grad. & aliquanto longiorem*, *ad borealiorem in baſi* Trianguli *extenſam* (*quæ Stella planè in cuſpide caudæ per Tubos optimè conſpecta*) *exhibebat*. *Die* 1 Maii *hac ipſâ die ab horâ* 2.32'. *matut. denuò diligenter obſervatus à me eſt*, *à lucido latere* Perſei, Capellæ, Scheat Pegaſi, *& capite* Andromedæ; *hincque in* 11 ♉ *repertus*, *ſub latitudine boreali* 18, *in ipſâ prope modùm conjunctione Solis*, *totidem quoque gradibus à Sole diſtans*. *Caudam*

adhuc

adhuc ſatis lucidam referebat, ſed paulò breviorem, ut ut latiorem, quam ad lucidum pedem Andromedæ exporrigebat.

A die 29 April., *quâ primum à me obſervatus, ad hunc uſque diem* 1 Maii, *motu proprio propemodum* 5°. 30'. *abſolvit*; *num autem ſucceſſu temporis motum velociorem an tardiorem inierit, haud ità accurate affirmare nunc queo: cùm intermedia obſervatio, ob cœlum tum nubilum non adeò certa mihi videatur. Subſequentes igitur obſervationes id brevi oſtendent exquiſitiùs.*

Quantum ex duabus obſervationibus conjicere poſſum, vel potiùs mihi divinari datur, fertur motu directo ad ſiniſtrum pedem Perſei, *ſupra* Taurum, *ad pedes* Geminorum, *ſi eo uſque perdurabit. Nodus deſcendens verſatur circa* 20 *grad.* Geminorum (*ſed ruditer id tantummodò refero*) *atque ſic ibidem* Eclipticam *pertranſibit, fietque tum Meridionalis, ſub inclinatione orbitæ* 27 *ferè grad. Hoc ipſo veſpere, dabo operam, ut eum etiam in* Occidentali *plagâ, ut ut à nemine adhuc viſus fuerit, deprehendere poſſim: Fortaſſis ſucceſſu temporis aliquanto meliùs ibidem in conſpectum veniet; ſed in ſitu decliviori & crepuſculo veſpertino,* Hypercircium *videlicet verſus*, (*h. e.* Nordweſten to Norden) *hac tamen conditione, ſi nimirum in eo motu, velocitate, nec non tramite perſiſtat; atque ſic ſimul matutino ſimul veſpertino tempore nos illum conſpecturos confido. De quibus tamen omnibus longè certiora, quando plures* Obſervationes, *Deo favente, impetravero, ſignificare vobis potero: Hæc quæ dicta fuêre, tantummodò divinare valui; num verò benè, an malè auguratus fuerim, tempus docebit. Quid veſtrates Aſtronomi de hoc cometâ, & an illum citiùs, an tardiùs deprehenderint, avidiſſimè à vobis pariter expecto. Illuſtriſſimam* Regiam Societatem, *Patronos, Fautores Amicoſque omnes ſaluta quàm officiociſſimè ab ejus devinctiſſimo & ad quævis ſtudia atque Officia paratiſſimo Socio,* Joh. Hevelio.

Dabam raptim, ut vides, horâ 6 matutinâ die 1 *Maii*, ſtatim poſt Obſervationes habitas, propter Tabellarium ſtantem in procinctu, Anno 1677. *Gedani.*

Another